

non fore illo privandum propter priora peccata jam remissa. Quod videtur docuisse Cyprian. serm. de Ablutione pedum, his verbis: *Nunc contemptum suum non statim ulciscitur Deus, nec per singulas offensas iudicantis ira discurrit, nec obstruxit fonti misericordiae suae ostia meatusque multiplices; sed obviat fugientibus, et cogit regredi desperatos, ostendens eis penitentiae viam, qua nulla latior invenitur, et reversis dat, ut iterum eis possint sacramenta prodesse, quorum, si penitentia non subesset, nullo modo deinceps experiri possent effectum.* Ex his ergo satis constat quomodo ablata fictione detur totus effectus baptismi, quoad extensionem ejus.

10. *Quo gradu intensionis redeat gratia recedente fictione.* — Sed circa intensionem hujus effectus est non parva difficultas, quomodo intelligendum sit, redire totum effectum gratiae quoad intensionem ablata fictione. Et ratio dubitandi est, quia hæc intensio gratiae, quæ datur ex opere operato, non est omnino indivisibilis, et determinata; nam si hujusmodi esset, nulla relinqueretur difficultas, quin tota daretur juxta principia posita; non tamen ita est, sed potest hæc intensio esse major et minor juxta dispositionem operantis magis vel minus perfectam. In eo autem, qui fide suscepit baptismum, nulla fuit dispositio ad gratiam, vel intensionem ejus; quæ ergo intensio danda est recedente fictione, aut per quam dispositionem vel mensuram est definienda?

11. *Duo dicendi modi.* — Duos potui excogitare dicendi modos. Primus est, dari minimam gratiam, quæ ex opere operato dari potest per baptismum, qualis est illa, quæ datur infantibus, et cuicumque neque obicem contrarium, neque positivam dispositionem ad gratiam habenti. Ratio hujus sententiæ esse potest, quia in hujusmodi homine nulla est dispositio ad baptismum, ratione cujus effectus gratiæ excedat illum minimum gradum, quia dispositio ad baptismum digne suscipiendum solum est, quando ipse baptismus suscipitur; tunc autem nulla fuit talis dispositio, quia, ut supponitur, fide et indigne susceptus est; ergo non est unde effectus gratiæ excedat prædictum intensionis gradum. Dices, posse excedere ratione subsequentis dispositionis, per quam tollitur fictio; nam quo illa fuerit melior, tanto videtur futurus hic effectus major. Unde, cum semper sit necessaria aliqua positiva dispo-

sitio ad tollendum obicem, semper ex hoc capite dabitur intensior gratia, quam daretur cum dispositione neutra (ut sic dicam), id est, nec positiva, nec repugnante. Sed contra hoc est, quia ille actus, quo postea tollitur fictio, revera non est dispositio ad baptismum, quia non præparat hominem ad illum digne suscipiendum; solum ergo deservit respectu baptismi, tanquam removens prohibens, non tanquam positive præparans; ergo, quod ille actus sit magis vel minus perfectus, nihil refert ad effectum baptismi, quia ad removendum obicem quilibet est æque sufficiens; ergo baptismus tunc per se non operatur in subjecto positive disposito, sed tantum in subjecto non habente obicem; dabit ergo illi minimum effectum, quoad intensionem.

12. Confirmatur et declaratur a simili, supposita probabili sententia, quod per quamcumque contritionem cujuscumque intensionis redeunt omnia merita per peccatum mortificata et omnis gratia amissa; hoc enim posito fieri potest, ut per contritionem ut quatuor, detur gratia ut centum, et per contritionem ut octo, non semper detur major, sed interdum minor, quia licet illis contritionibus, ut sunt dispositiones ad novam gratiam, respondeat diversus effectus, major intensiori, et remissiori minor, tamen ut removeat obicem priorum meritorum, quantum est ex se, æque operantur, quia in hoc habent quandam æqualitatem, quia utraque removet totum obicem, quo sublato omnia merita præcedentia redeunt, sive sint minora, sive æqualia, sive majora, quia respectu illorum illa contritio non se habet ut dispositio, sed tantum ut removens prohibens; sic ergo in præsentia, actus, quo tollitur fictio, solum se habet ut removens obicem; et ideo non refert, quod in se sit magis vel minus perfectus, quia in efficacia tollendi obicem omnes sunt æquales, et tantum sub hac ratione tunc concurrunt ad effectum baptismi.

13. Et confirmatur secundo hæc sententia, quia recedente fictione solum datur effectus baptismi ratione præcedentis susceptionis ejus, eo modo quo tunc facta est, et acceptata a Deo ad talem effectum; sed tunc susceptio baptismi ex parte suscipientis fuit sacrilega, et indigna, quamvis ex parte baptismi semper de se fuerit efficax et sufficiens ad gratiam; ergo ille baptismus sic susceptus solum acceptatur ad dandam minimam gratiam, quam baptismus ex se potest dare, quia ex parte

subjecti nihil fuit, unde posset crescere ille effectus. Neque enim convenienter dici potest, tunc non acceptari ad determinatum effectum, sed confuse ad talem effectum, qualis postea fuerit dispositio, per quam tollitur fictio. Hoc, inquam, non placet, quia sacramentum determinatur ad effectum juxta capacitatem, et dispositionem, quam habet subjectum eo tempore, quo recipit sacramentum, non juxta eam, quam postea est habiturum, ut patet inductione facta in omnibus sacramentis, et in omnibus causis efficientibus, quæ ex dispositione subjecti habent aliquo modo determinatos effectus. Item ratione morali, quia hoc expedit ita fieri, ut homines excitentur ad digne suscipienda sacramenta.

14. Unde plures rationes oriuntur, quibus hæc sententia amplius confirmari potest. Una est, quia ei, qui indigne suscepit baptismum, non datur postea gratia recedente fictione, nisi ob sanctitatem et efficaciam baptismi, ut est medium necessarium ad salutem; non vero propter id, quod homo ex parte sua adhibuit in tali susceptione; nam ex hoc capite potius fuisset privandus omni gratia; ergo satis superque est, quod detur ei minima gratia baptismalis, nam hæc est, quam baptismus de se semper efficit, nulla habita ratione dispositionis subjecti, sed solum remoto obice; nam hæc sufficit ad salutem, et ad necessitatem baptismi et efficaciam ejus; et quod non detur major, quodam modo debetur indignæ susceptioni. Altera ratio, seu tertia confirmatio est, quia si aliquis accepit baptismum cum attritione ut duo, alius vero fide, et uterque postea habeat attritionem ut tria, non est verisimile, majorem gratiam ex opere operato, accipere eum, qui fide baptizatus est, quam eum, qui digne cum attritione ut duo; ergo, quamvis ille, qui fide accepit sacramentum, postea tollat fictionem per attritionem ut tria, non recipiet tantam gratiam ex opere operato, quantam accepisset, si tempore baptismi habuisset illam attritionem ut tria, alioqui acciperet majorem gratiam ex opere operato, quam alius, qui baptizatus fuit cum attritione ut duo, quod videtur incredibile.

15. Et potest in hunc modum etiam explicari: nam ei, qui baptizatus est cum attritione ut duo, licet habeat postea attritionem ut tria, non propterea confertur major effectus ex opere operato, quia ille jam fuit definitus ex priori dispositione, quæ cum ipso baptismo

concurrit; ergo neque ei, qui indigne suscepit baptismum, attritio ut tria postea habita utilis esse debet, ut effectus ex opere operato in eo crescat, sed satis est, ut deserviat ad tollendum obicem. Tandem, potest alio modo vis hujus rationis declarari, nam baptismus, sicut dat gratiam homini non ponenti obicem, ita majorem dat homini bene disposito, et adhuc majorem melius disposito; ergo sicut in homine adulto carentia dispositionis absolute et simpliciter est obex ad totum effectum sacramenti, ita carentia perfectioris dispositionis dici potest obex respectu perfectioris gratiæ ex opere operato recipiendæ; sed, qui recipit sacramentum cum dispositione imperfecta, quamvis ex parte sua obstiterit perfectiori gratiæ, non potest postea per contritionem, vel attritionem perfectiorem quasi removeere illum obicem, et se disponere ut ille effectus ex opere operato crescat, quia jam effectus baptismi fuit determinatus in ipso instanti receptionis ejus, et subsequens contritio jam non est dispositio ad illum; ergo simili ratione et proportionem dicendum est de eo, qui posuit obicem toti effectui, nimirum, quod major vel minor contritio aut attritio, postea habita, non sit in eo dispositio ad perfectiorem effectum ex opere operato, sed solum ad removendum obicem.

16. Dices: si hæc ratio esset efficax, probaret, quod, sicut major perfectio effectus baptismi, semel impedita ex imperfecta dispositione suscipientis, non potest postea recuperari, veluti auferendo obicem per meliorem dispositionem, ita neque absolutus effectus gratiæ, semel omnino impeditus, possit postea redire ablata fictione, etiam quoad minimam gratiam. Respondetur non esse parem rationem, quia aliqua gratia baptismalis est necessaria ad salutem; perfectio autem gratiæ non est ita necessaria; et ideo baptismus, quomodocumque recipiatur, acceptatur ad aliquam gratiam dandam remoto obice; non vero ad perfectionem gratiæ, nisi pro ratione præsentis dispositionis. Item est alia differentia, quia respectu perfectioris gratiæ non datur obex contrarius, proprie loquendo, sed tantum negativus, quia est carentia perfectioris dispositionis, qui obex postea nullo modo auferri potest, quia licet possit haberi perfectior actus, non tamen perfectior dispositio, quia postea elicitus actus neque est, neque esse potest dispositio ad baptismum; at vero respectu gratiæ absolute, præter negativam dispositionem concurrunt semper contra-



ra, scilicet, peccatum aliquod gratiæ repugnans; et hujusmodi obex auferri potest per aliquam detestationem illius, scilicet, per conversionem in Deum illi repugnantem aliquo modo; et ideo potest redire effectus gratiæ, prout est necessarius ad expulsionem peccati, quamvis non redeat, quoad majorem perfectionem, quæ pendet ex meliori dispositione.

17. Ultimo confirmatur et declaratur hæc sententia a simili ex modo quo reviviscit gratia baptismalis semel habita et amissa; nam si quis digne recepit baptismum cum contritione ut duo, et postea peccavit, et deinde resurgit per contritionem ut quatuor, quamvis illi iterum detur gratia baptismalis ablato obice peccati, non tamen illi datur tanta gratia ratione baptismi, quam data fuisset, si in ipsa susceptione baptismi habuisset contritionem ut quatuor; sed præcise restituntur illi gradus gratiæ, quos baptismus habere potest in homine contrito ut duo, quia illa gratia non est mensuranda per dispositionem, per quam postea auferitur obex, sed per eam, quæ fuit tempore susceptionis baptismi; ergo multo majori ratione si prius accepit baptismum sine ulla contritione, vel attritione, et postea resurgit per contritionem ut quatuor, non dabitur illi tanta gratia ratione baptismi, quanta daretur homini suscipienti illum cum contritione ut quatuor; alioqui, cæteris paribus, meliorem effectum baptismi consequeretur, qui indigne illum suscepit, quam qui digne; licet tardius, seu tempore posteriori; quod videtur satis absurdum, quia contritio illa, per quam removetur obex, non magis est dispositio ad baptismum in uno, quam in alio. Quæ ratio, et omnes aliæ factæ eadem proportionem probant, ablata fictione, nunquam dari tantam gratiam ex opere operato ratione baptismi, quanta data fuisset homini digne suscipienti illum quacumque dispositione minima et imperfecta. Unde tandem concluditur, recedente fictione, solum dari minimam gratiam, quæ determinata est ex ipsa institutione baptismi ad certum gradum, sine ordine ad positivam dispositionem suscipientis, sed solum ad subjectum non habens obicem, seu removens illum; nam licet baptismus non semper det hunc effectum, ob indispositionem suscipientis, semper tamen ad illum acceptatur, ut remoto obice illum conferat. Atque hæc sententia videtur certe non solum probabilis, sed etiam vera; nam rationes et conjecturæ adductæ videntur potentissimæ et satis urgentes.

18. *Secundus modus dicendi.* — Nihilominus potest quis opinari, recedente fictione, dari ratione baptismi, et ex opere operato, majorem vel minorem gratiam juxta qualitatem actus seu dispositionis, per quam removetur obex. Juxta quam sententiam consequenter dicendum est, tantam gratiam dari recedente fictione, quanta data fuisset, si in ipso baptismo homo habuisset eandem dispositionem, quam habet, cum tollit fictionem, nam supposito priori principio, quod hic effectus crescat vel minuatur pro qualitate actus, quo removetur fictio, non potest certior regula præscribi hujus proportionis, nec solidius fundamentum dari, quam tribuendo baptismo totum effectum suum, stante eadem proportionem in subjecti dispositione. Itaque baptismus semel receptus tam est efficax ad operandum, recedente fictione, quam in principio actu existens; ergo tantam gratiam dat, recedente fictione, cum tali dispositione, verbi gratia, contritione ut quatuor, quantum in principio daret, si cum eadem susceptus fuisset; antecedens patet inductione supra facta in omnibus aliis effectibus; et ratione, quia est eadem causa et eadem virtus, in qua perinde est manere in acceptatione divina, ac si actu existeret; consequentia vero patet a paritate rationis. Nec videtur satis esse dicere illum actum, quo tollitur fictio, non esse dispositionem ad sacramentum; nam satis est, quod sit dispositio ad effectum sacramenti; nam licet sacramentum præciserit quoad suum esse, non tamen quoad efficaciam suam, quia nondum contulit effectum suum, et ideo recte intelligi potest, quod, licet non possit homo jam se disponere ad sacramentum suscipiendum, possit tamen se præparare ad gratiam, non solum ut gratia est, sed etiam ut effectus sacramenti est; et quod hac ratione detur inæqualis effectus dispositioni proportionatus. Neque in hoc oportet idem ferre iudicium de hoc effectu sacramenti, qui datur recedente fictione, et de reviviscencia meritorum, seu reditu gratiæ per peccatum amissæ; certius enim est, baptismum habere effectum recedente fictione, quam gratiam semel per baptismum comparatam, et per peccatum amissam, per penitentiam in integrum restitui; gratia enim, quæ datur propter sacramentum recedente fictione, vere est effectus sacramenti, et in ejus efficacia et necessitate fundatur; gratia vero, quæ per penitentiam restituitur, jam tunc non est proprie effectus baptismi; sed,

si restituitur, solum est, quia acceptatio ad gloriam, quæ correspondet tali gratiæ, de se est perpetua et firma, nisi homo ponat impedimento per penitentiam, restituitur illa gratia, non ut novus effectus sacramenti; et ideo non commensatur præsentis dispositioni; at vero gratia, quæ datur recedente fictione, potest commensurari dispositioni, non solum ut removenti obicem, sed etiam ut preparanti subjectum ad effectum sacramenti.

19. Denique, ex hoc dicendi modo non sequitur aliquod inconueniens; nam, licet fateamur, eum, qui indigne suscepit baptismum, si postea resurgat per contritionem ut quatuor, majorem gratiam baptismalem accipere, quam eum, qui digne suscepit baptismum cum contritione ut duo, nihil absurdum, vel incommodum in hoc esse videtur, quia ille, qui indigne suscepit baptismum, non ratione peccati, quod tunc commisit, fructum aliquem accipit, sed magnum potius inde sensit detrimentum, quia eo tempore caruit divina gratia, et favoribus, et auxiliis propriis filiorum Dei; si quid ergo uberius fructu consequi videtur, totum provenit ex perfectiori contritione, qua se ad effectum sacramenti præparavit. Quod enim hæc contritio posterior tempore sit, non refert, quia moraliter conjungitur cum ipso sacramento, et præparat subjectum ad effectum illius. Et ideo etiam nihil obstat, quod alter, qui digne suscepit sacramentum cum remissa contritione, postea habeat alios actus contritionis intensiores, quia illi jam non sunt dispositiones ad effectum sacramenti. Sicut, si constituamus duos, quorum alter nunc accipiat baptismum cum contritione ut duo, postea vero successu temporis habeat ferventissimos actus amoris et contritionis; alius vero in fine vitæ baptizetur cum contritione ut quatuor; hic posterior majorem gratiam baptismalem secum afferet, quam alius, etiamsi fortasse aliunde plura habuerit peccata, et pauciora merita, quia hæc sunt accidentaria ad effectum sacramenti; ita vero est in præsentibus; nam ita censendum est de illo, qui posteriori tempore tollit fictionem per nobiliorem actum, et dispositionem, ac si tunc cum eadem dispositione sacramentum accepisset.

20. *Uterque modus probabilis, sed prior probabilior.* — Atque in hunc modum explicata hæc sententia et potest absque magna difficultate effugere vim superiorum ra-

tionum, et non est dubium, quin potuerit Christus Dominus hunc effectum, aut efficaciam sacramenti instituere; totum enim hoc negotium ex illius institutione pendet, quam conjecturis potius, quam firmo aliquo fundamento, investigare possumus; et ideo uterque modus dicendi est probabilis; prior tamen videtur mihi verisimilior, magisque consentaneus communibus legibus sacramentorum, et convenienti providentiæ, ad quam expedit, ut majorem fructum reportet, qui melius dispositus ad sacramentum accedit; et ideo, quod dispositio ad effectum propria tantum ea sit, quæ simul est dispositio ad ipsum sacramentum, dignamque susceptionem et reverentiam ejus.

21. *Ad fundamenta aliarum opinionum.* — Superest, respondeamus ad fundamenta aliarum opinionum et ad rationem dubitandi in principio positam; ad quam breviter dicitur, ex principiis supra positis disputando de sacramentis in genere, sacramentum, quando habet effectum recedente fictione, non conferre illum, ut instrumentum physicum, sed Deum solum dare effectum ratione sacramenti prius suscepti; et hæc est faciliior, et intelligibilior responsio, quam aliæ, quæ dari solent; neque in ea est ullum inconueniens, quia neque est necesse, neque possibile, quod res, quæ, si existeret physice, operaretur, etiamsi non existat, physicum influxum adhibeat; neque e converso necesse est, ut sacramentum, quod, cum jam non existit, operatur tantum moraliter, et non physice, etiam cum existit, et in subjecto non invenit obicem, non operetur physice, sed tantum moraliter; sed potius consentaneum rationi est, ut causa actu existens majorem efficaciam habeat, saltem in modo operandi; quæ omnia in prædicto loco latius tractata sunt. Atque hinc satis responsum est ad fundamentum primæ sententiæ; negamus enim, absque proprio effectu gratiæ sacramentalis vere ac proprie salvari, quod sacramentum habeat suum effectum recedente fictione, ut satis declaratum est.

22. *Responsio aliquorum.* — *Refellitur.* — Ad confirmationem vero ibi adjunctam ex comparatione inter sacramentum jam receptum, et postea suscipiendum, quod non magis possit unum habere effectum ex opere operato, quam aliud, aliqui concedunt proportionem; et affirmant, effectum gratiæ, qui datur per contritionem in voto sacramenti, attribuendum esse ipsi sacramento tanquam



propriæ causæ morali, atque ita dici posse effectum ex opere operato respectu illius; nam hujusmodi causalitas ex opere operato, cum latius pateat, quam causalitas physica, non requirit necessario actualement et realem existentiam causæ; potest ergo attribui sacramento futuro, sicut præterito. Sed hic dicendi modus, quamvis fortasse magis in verbis consistat, quam in re, mihi non probatur, ut sæpe in superioribus tetigi; primo quidem, quia, si baptismus in voto operaretur ex opere operato, sicut dicitur causare gratiam, ita dici posset causare characterem, quia non est major ratio de uno effectu, quam de alio; imo videtur esse major ratio de characterem, quia est veluti potentia passiva ad omnia sacramenta, et ad omnes effectus ex opere operato sacramentorum; et ita inter effectus baptismi est primus omnium. Secundo, quia, si post baptismum in voto aliquis accipiat baptismum in re, tunc recipit ex opere operato totam gratiam, quam hoc sacramentum dare potest cum tali dispositione; ergo signum est, prius non fuisse operatum sacramentum ex opere operato, quia idem sacramentum non confert ex opere operato duplicem effectum distinctum. Tertio, ratio a priori esse videtur, quia in ipsis terminis videtur esse repugnantia, quod effectus detur ex opere operato, et tamen quod detur prius, quam opus fiat, quia in ipsismet verbis (opus operatum) includitur realis applicatio et effectio ipsius operis, cui talis effectus conjunctus est ratione ipsius operis, re ipsa exhibiti, cui promissa est specialis virtus, seu privilegium. Ex qua ratione clara est responsio ad prædictam confirmationem, negando similitudinem; et ratio differentie non est posita in reali et actuali existentia, ut bene probat ratio ibi facta; sed est in hoc posita, quod sacramentum præteritum jam semel fuit re ipsa susceptum, et applicatum sufficienter ad operandum, ratione ipsius operis jam operati; sacramentum autem futurum nondum applicatum est, neque operatum (ut sic dicam), et ideo non potest habere effectum ex opere operato.

23. Ad fundamentum secundæ sententiæ jam satis declaratum est, quæ sit necessitas, ob quam oportet, dari ratione baptismi specialem effectum gratiæ, recedente fictione. Petitur autem in ultima confirmatione ibi posita (cætera enim omnia expedita jam sunt) specialis difficultas, nimirum, si recedente fictione datur aliqua gratia ratione baptismi, et

aliqua ratione contritionis seu sacramenti poenitentiae, quomodo possit hic effectus dividi, et attribui hujusmodi diversis causis; sed quia hæc difficultas supponit aliqua in seq. sect. tractanda, ideo in fine illius commodius explanabitur.

#### SECTIO V.

Quænam dispositio sufficiat ad tollendam fictionem, ut baptismus suum effectum habere incipiat.

1. *Attritione sufficiat ad tollendam fictionem.* — Tota difficultas est, an requiratur contritio, vel sufficere possit attritio. Et ratio dubitandi est, quia si in ipsa susceptione sacramenti adfuisse attritio, illa fuisset sufficiens ad fictionem tollendam; ergo etiam postea adhibita ad eundem effectum valebit. In contrarium vero est, quia fictio nihil aliud fuit, quam peccatum; ergo tollere fictionem nihil aliud est, quam tollere peccatum; sed attritio non sufficit ad tollendum peccatum; ergo neque ad tollendam fictionem. Duobus modis contingere potest, ut supra vidimus, hominem esse fictum in ipsa susceptione baptismi. Uno modo absque actuali peccato sacrilegæ susceptionis, ut si bona fide accedat, putans se esse attritum, non tamen sit; aut, si invincibiliter existimet, non esse necessariam aliam dispositionem præter fidem et voluntatem baptismi. Secundo modo potest quis esse fictus, actualiter peccando, et sacrilegium committendo in ipsamet susceptione baptismi, quia nimirum prava conscientia, sciens et videns, vel culpabiliter ignorans, ita accedit. Et utroque modo evenire potest, ut homo post baptismum acceptum aliqua peccata mortalia commiserit, aut quod nunquam postea mortaliter peccaverit.

2. *Sufficit attritio, quando in baptismi susceptione, vel post baptismum non fuit peccatum.* — Dico ergo primo: in eo, qui neque in susceptione baptismi, nec post baptismum susceptum, mortaliter peccavit, sed ex inculpabili ignorantia fictus accessit, sufficit postea sola attritio ad tollendam fictionem, et ad gratiam et remissionem peccatorum ratione baptismi obtinendam. Hæc conclusio a fortiori colligitur ex auctoribus statim citandis; et eam apud me convincit ratio dubitandi in principio posita, quia illa attritio antea sufficeret; ergo et postea sufficit. Patet consequentia, quia nullum novum peccati impedimentum adjunctum est. Secundo, quia tollere fictionem, proprie ac formaliter non

est tollere peccatum, ut falso sumebatur in ratione dubitandi posteriori loco posita; nam ablatio peccati potius est effectus baptismi, quam dispositio ad illum; igitur tollere fictionem in præsentem solum est, tollere carentiam dispositionis, quia in casu, de quo agimus, tota fictio posita fuit in carentia dispositionis, et non in aliquo novo peccato. Vel aliter: tollere fictionem est, retractare peccatum, quod prius non fuerat retractatum; sed in casu, de quo agimus, per solam attritionem sufficienter retractatur peccatum, quantum baptismus postulat, et consequenter ponitur dispositio, quam solam baptismus per se requirit; ergo sufficienter tollitur fictio; ergo sacramentum habebit suum effectum, cum aliunde nullum peccati impedimentum interveniat, ut supponitur. Tertio, quia in hujusmodi homine non est necessarium sacramentum poenitentiae, cum supponantur omnia peccata antecessisse baptismum; ergo tollenda sunt omnia virtute solius baptismi; ergo tollentur cum dispositione per se sufficienti cum solo baptismo. Denique, quoad hoc perinde operatur baptismus antea receptus, ac si tunc reciperetur; nam eandem habitudinem habet ad omnia illa peccata, et ad illam dispositionem, et semper de se est efficax, dum novum obicem non inveniat. Neque contra hanc conclusionem invenio objectionem alicujus momenti, nam quæ in principio tacta est, soluta jam est.

3. Circa conclusionem hanc videndus est Scotus in 4, dist. 4, quæst. 5. Ubi tamen subobscurè loquitur, et nonnulla dicit, quæ mihi non omnino probantur; dicit enim quod, si quis ante baptismum habuit septem mortalia peccata, et ad baptismum accessit cum attritione sex peccatorum, et sine attritione septimi, vel cum complacentia ejus, tunc ad removendam fictionem non indiget nova contritione, vel attritione priorum sex peccatorum, indiget tamen poenitentia, confessione et satisfactione septimi peccati, quod fuit causa fictionis, et cujuscumque alterius postea commissi. In qua doctrina, hæc ultima pars est vera, et consentanea conclusioni sequenti; prima etiam est probabilis, et conformis priorum nostræ assertioni; nam supponimus posse aliquem habere veram attritionem aliquorum peccatorum, et non omnium, saltem propter propriam et specificam turpitudinem eorum, in qua non habent peccata mortalia necessariam connexionem, respectu interioris affectus, seu detestationis voluntatis; potuit ergo

vere aliquis detestari sex peccata, non detestando septimum; ergo per affectum ad illa non posuit obicem; ad tollendum ergo obicem seu fictionem, non erit necessaria nova attritio illorum sex peccatorum.

4. Quod vero Scotus dicit de septimo peccato nullo modo detestato (gratia enim exempli sic loquimur; nam eadem ratio est de omnibus peccatis ante baptismum commissis, et non detestatis per veram attritionem), quod, inquam, Scotus inquit, ad tollendum hujusmodi peccatum, esse necessariam contritionem, confessionem, et satisfactionem, mihi non placet; nam consequenter significat, baptismum non habere efficaciam circa illud peccatum, nec delere illud, quoad culpam et omnem poenam, etiam accedente hominis attritione; indicat etiam peccatum illud esse materiam poenitentiae; unde declarat propositionem illam universalem, sacramentum poenitentiae solum habere efficaciam ad tollenda peccata post baptismum commissa, intelligendam esse de peccatis, vel commissis post receptum baptismum, vel ita inhærentibus, ut de illis nec attritio, nec contritio fuerit in baptismo; quæ omnia in rigore mihi videntur falsa; oportet enim distinguere inter peccatum ante baptismum commissum et non detestatum, quod fuit causa fictionis, et inter peccatum irreverentiæ, seu sacrilegii, si fortasse commissum fuit indigna susceptione baptismi; Scotus enim de utroque loquitur; ejus tamen doctrina solum habet verum in peccato postremo, scilicet sacrilegæ susceptionis baptismi, ut in 3 conclusione dicemus; non tamen in peccato ante baptismum commissum et non detestato, ut ex assertionem posita colligitur, cui in hac parte contraria est doctrina Scoti. Probatur autem nostra sententia, quia omnino falsum est, peccata commissa ante baptismum, quamvis post baptismum inhæreant ob defectum attritionis, esse materiam sacramenti poenitentiae; nam illa non cadunt sub jurisdictionem Ecclesiæ; ergo nec sub poenitentiae sacramentum, quod jurisdictionem requirit. Item peccata non sunt materia poenitentiae, prout habitu inhærent, sed prout actu commissa sunt; at vero peccata, prout commissa ante baptismum, non pertinent ad sacramentum poenitentiae; ergo quamvis postea habitualiter inhæreant post baptismum, non propterea erunt materia sacramenti poenitentiae. Tandem, hoc sacramentum non habet efficaciam circa hominem, nisi ut jam insignitum characterem baptis-